

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2609

Auteur(s) : Jean de la Ranchère [particulier]

Auteur(s) : Agnès, femme de Jean de la Ranchère [particulier]

Bénéficiaire(s) : Robert Chabu [particulier]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1285, janvier

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Vente par Jean de la Ranchère à Robert Chabu d'une pièce de terre et d'une noë, sises à Saint-Martin-du-Vieux-Bellême.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche*, Mortagne-au-Perche, Meaux (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 103, p. 115.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Johannes de la Ranchère et Agnes ejus uxor salutem in Domino. Noverint universi quod nos de communi assensu nostro et voluntate omnium heredum nostrorum vendidimus et concessimus Roberto dicto Chabu et Hemburgi ejus uxori ac eorum heredibus, pro quatuor libris et dimidia turonensis nobis ab eisdem integre persolutis, unam peciam terre nostre cum quadam noa, dicte pecie terre contigua, sitam in parochia Sancti Martini de Veteri Bellismo, in feodo Gervasii dicti Kalabre armigeri, que omnia junguntur ex uno latere (aus beit ?) molendini de Eclopechart, et ex alio latere pratis defuncti Gervasii dicti Bonvallet, et abotat ex una parte terre predicti Roberti Chabu, et ex alia parte, pratis Leprosorum de Bellismo, predictam peciam terre cum noa sicut se possidet, predictis Roberto ac uxori sue et eorum heredibus habenda, tenenda et jure hereditario perpetuo possidenda, sine contradictione aliqua nostri aut heredum nostrorum vel alicujus alterius super hoc de cetero facienda. Nos vero juravimus, tactis sacrosanctis evangelii Dei, quod in predictis terra et noa nichil reclamabimus in futurum nec faciemus per alium aliquem reclamari. Immo nos et heredes nostri predictis Roberto et ejus uxori ac suis heredibus, super omnem hereditatem nostram ubicunque existentem tenemur predictam terram cum noa garantizare et defendere contra omnes in perpetuum, et de omnibus serviciis et rebus aliis quibuscumque pertinentibus quoquomodo deservire, reddendo tamen exinde nobis et heredibus nostris, seu mandato nostro, duos denarios turonenses annui et perpetui census apud Bellismum, in vigilia Nativitatis Domini sive in die annuatim. Et ut hoc sit firmum et stabile in futurum, nos predictis Roberto et Hemburgi ac suis heredibus istas presentes litteras contulimus sigillorum nostrorum munimine sigillatas, per quas nos et heredes nostros quoscumque obligamus ad omnia predicta firmiter et fideliter observanda.
Actum anno Domini M^o CC^o octuagesimo quarto, mense januarii.